

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Giovanni Angelo Berniera


**Buccina Confessoria, Qua propter inventam Evangelicae Veritatis Drachmam, ad
commune gaudium Ecclesiae Lutheranae Fautores, Et Amicos provocat**

Lipsiae: Lipsiae: Wohlfart: Lampius, 1690

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn758316844>

Druck Freier  Zugang





16p
a-B3
12p

F.f-1277^{1-3.}

BUCCINA Confessoria ,
Qua propter inventam Evangelicæ Veritatis Drachmat ,
ad commune gaudium
**ECCLESIAÆ LUTHE-
RANÆ FAUTORES,**

Et Amicos provocat ,

Cum ad Eam converteretur

**JOHANNES ANGELUS MARIA
BERNIERA, Italus, Philosoph. & SS.
Theolog. Magist. nec non olim concionator Generalis
ordinis Carmelitarum.**

LIPSIAE,
Apud JOH. CHRISTIAN WOHLFART.
Typis CHRISTOPH. BALTH. LAMPII.
Anno MDC XC.


BRUNNEN GEGEN
Gesetzter Innenstaatsbeamten / ohne Kosten
der Gemeindeabgaben

HOC EST IN LIBERIA
KAROLINI AVGVSTI
Ecclae AEGROBIOLOGICE

JOHANNES ANTONIUS MARIA
BERNARDUS DE PHILIPPO
Johannes Maria de Bernardus de Philippos
Orius Christianus

12913

AUGUSTINIAN CHARTER
TURINENSIS
anno MDCXCV



JESUS!

Congratulamini mihi omnes, quia
Drachmam qvam perdideram,
inveni. **LUC.** 15. v. 9.



Anè non miror O. O. A. N. Diogenem in-
ter gentiles olim Philosophiae moralis spe-
culum, etiam, dum sol suos ubicung ostend-
eret radios, face ambulasse accensa;
nam, si bene recordor, adeò mundum cor-
ruptionum tenebris occupatum videbat, ut etiam in meri-
die, Lux mundi(hominem probum intelligo) ipsi obscurissi-
ma appareret. Quid mibi bactenus acciderit, certe sine
rubore eloqui vix valeo. Fateor me & multis abbinc annis,
facem in manu gestasse, & splendentibus ubiq; radiis coele-
stis doctrine, homines quasiisse, qui mihi purissimam E-
vangelii lucem monstrarent. Ast, ubi essent ejusmodi
homines, ubi lucerent lumina ista Ecclesia, invenire ante
baud potui, donec tandem me in hanc regionem contuli, &
superveniente Numinis divini lumine illustratus, id, quod
anxius quasi vi, inveni. Igitur quod hodie in flar mulieris

A 2

Evan-

Evangelica, vos omnes mecum ad plaudendum convocare-
rim, baud alias hujus mei propositi, sciatis causam fuisse,
quam Drachmæ illius Evangelicæ, veritatis videlicet in-
tantis tenebris, quibus antea occupatus fui, inventio.
Hec est ista, quam à DEO, in baptisme acceperam !
Hec est ista, quam apud Pontificios perdidideram ! jam
quesita, jam reperta ! Unde nolite queso egre ferre,
O. O. A. A. quod vos ad actum hunc gratulatorium nu-
bilis errorum profligatis invitam, more nautæ qui ad opta-
tum perveniens portum, tormenta explodendo bellica,
omnes quasi propter inventam quietem, post tanta nubila,
ad commune gaudium inducere intendit. Heu ! olim me
miserum ! quos labores non suscepit ? quales urbes non
quesivi ? quæ itinera non perfeci, ut amissam Evange-
licæ veritatis Drachmam invenirem ? Relictis seculi pom-
pis, puer 15. annorum (parentum jussu) Cœnobium in-
grediebar ; putabam ibi solum veritatem esse querendam,
& inveniendam ; ast cum in hypocrisi instruerer, tan-
dem agnoscebam omnes monachos esse ex grege de quo
Christus dicit : venient ad vos in vestimentis ovium, in-
trinsicus autem sunt lupi rapaces. Contra propriam ex-
perientiam conabantur ostendere, hominem posse totam
divinam legem ad amissim implere ; Quia non esset filius
Adæ sed paradisi angelus, falsis deinde dogmatibus pro-
bando, concupiscentiam (quæ effectus est originalis peccati)
peccatum non esse, imò sic eradicari posse, ut per votum
castitatis, obedientie, & paupertatis omnem sensum
cobibere possimus. At quia Lutherani Doctores dicunt id
omne, & longe plura, esse contra D. apostoli doctrinam,
Rom. 7. v. 7. qui dicit, concupiscentiam non novissim, nisi lex dixisset
mihi

mihi non concupisces, hinc jure merito vos eruditissi-
 mos amplissimosq; O. O. A. H. obnixe compello, rogan-
 do, ut mecum congaudeatis, quia Drachmam quam per-
 dideram, inveni. Juvenis unde factus Romam petii, ubi
 Romano dominante Pontifice, meum finem melius obtinere
 certissimè putabam; Nec primum omni modo meam me
 se felliſſe opinionem videbatur. At, post aliquod tempus,
 videndo Christi sanguinem, in indulgentiis venundari,
 patrimonium & redditus ecclesie plus offerten concedi; imò
 & gratiarum eraria non alia aperiri clave, quam Simo-
 niaca; itidem agnovi, ibi Petri successorem degere non
 posse; nam Christus dum Apostolo simul & ceteris cœlo-
 rum claves concessit, eum Petrum, & non Simonem ap-
 pellarunt, ut omnibus patefaceret, symoniam esse omni-
 mode à suis successoribus (quorum è numero Romanus Pon-
 tifex non est) abolendam. Et sic ex parte examinatis,
 quæ examinanda erant, cognovi, Pontificem nullo modo
 esse infallibilem; imò in Cathedra etiam posse errare,
 plus simplici vice vidi, non minus quam Pontifex ille, qui
 ad mortem Christum damnavit. Quid quod satis exper-
 tus sum, aliam Petram fundamentalem non esse, quam
 Christum, qui omnibus Apostolis aqualem tradidit facul-
 tam, non autem filium illum perditionis qui adversatur
 Christo, & ita se extollit super omnia, ut in templo Dei
 tanquam Deus sedeat. Hinc non amplius potest me suade-
 re ad Purgatorii pœnas promulgandas; cessante enim Pon-
 tificis autoritate, cessant & suorum deliriorum funda-
 menta omnia; Destructo hoc fundamento, totum de-
 struitur edificium. Unde probabant purgatorium exustum?

Forfitan Christus, juxta omnium Theologorum sententiam
pro omnibus nostris peccatis non equaliter, quin imò & su-
perabundanter satisfecit? Quem in finem igitur cum
gentilibus hunc labyrinthum simul cum Limbo fingere stu-
dent? sane non ob aliud, quam ad extorquendam ab
hominiū simplicitate pecuniam; Sed, vñ vobis! nonne
per Esaiam dixit Deus? delevi ut nubem iniquitates tuas,
& quasi nebula m̄, peccata tua? Nonne ipse met per E-
zechielem exclamavit, effundam super vos aquam mun-
dam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris?
Quomodo haberet valorem infinitum pretiosissimus Chri-
sti Sanguis, si per eum non tollerentur totaliter pœna pec-
cato debita? Scio Jesuitas, ordinarie Eleemosynas pro cele-
bratione missarum non accipientes banc posse veritatem
fateri, sed à suā adulazione desistere nolunt. Domine De-
us! Et quis negare poterit inter Papistas Evangelicam veri-
tatem me non amisse, si Conciliabulo Tridentino addictus,
contra omnem rationem, nec non scripturam volebam pro-
priis meritis posse vitam acquirere aeternam; alias inde
admonendo, ita opera bona esse necessaria necessitate me-
diū ad salutem, ut gloria tanquam stipendum detur, tan-
quam corona, & merces? quomodo veritatem non ami-
si? nonne ego (tanquam Sacerdos) pane divino con-
secrato pluries eandem escam, & potum adoravi, putans
ita dari transubstantiationem, ut ibi etiam post cœnam
non representative factam, & extra usum, remaneat
sub illis speciebus corpus non solum, sed & sanguis anima &
Christi divinitas? O quam facile olim mibi erat mendacis
credere. Demum dicite mihi forfitan veritatem non a-
misi-

Esa.44.

v.22.

Ezech.36.

v.25.

miseram dum putabam graviter peccari carnes in die N
 eneris & Sabbati comedendo , ante altaria non genu fle
 ttendo , & alias diversas , & vanas ceremonias , ut pluri
 mum fuitiles , omittendo , parum deinde de fide solicitus ,
 quasi per peccata amitti non possit ? prob dolor ! usque
 adeo in Ergastulo errorum sepultus , infallibiliter pro illo
 infelici divite Evangelico poteram haberi , nam sicut ille ,
 licet linguam non haberet , pro lingua tamen ita precaba
 tur (relinquendo animam tortoribus oppressam) ut Titel
 manus de ipsa dicat ; Et linguæ refrigeria exoptat ,
 qui falso putat linguam habere ; cujus non habet
 quærit levamen , & cujus habet , non sentit onus .
 Sic & ego obcœcatus deprecabar (uti dicebam) pro remis
 sione peccati imaginarii , animam inde relinquendo absq;
 illa fide , sine quâ impossibile est Deo placere . Tandem &
 quis audebit meum judicium irritum facere , per quod af
 firmavi , veritatem evangelicam miserrime amississe , si per
 triginta & quatuor propè annos in tenebris ambulans ,
 unquam distinguere nescivi pœnitentiam , ordinem , & ma
 trimonium à baptismo & sacra cœna , omnia tali modo
 confundens sub nomine sacramenti , ut etiam crederē , Pon
 tificem facultatem habere sacramenta ista tuendi ? Nonnè
 hoc sufficit ad probandam veritatis amissionem ? O quam
 mibi licitum est cum Augustino dicere O ! mundefallax
 O ! mundeproditor . vel quod magis quadrat o Italia
 fallax , o Roma mendax ! Mendax Roma , quia dum
 antiqui senatores ad pectus pendentem deferebant verita
 tis imaginem in signum amoris erga illam , nunc ubiq; audi
 untur suorum habitatorum voces clamantes ; si quis veri
 tatem

tatem dixerit, frangetur ei caput. Fallax Italia, que, cul-
tum tantum externum docens, ita est à veritate & cultu
Dei aversa, ut non immerito à viris magni nominis, & no-
minatim Zarbaria Ursino in Epistola ad amicum, & Jo-
sepho Hallo, in epistolis dec 4. Epist. 10. Cloaca Diabolorum
& excrementum Orbis terrarum, Arx impietatis
omnisque Atheismi fœcunda mater appellata sit. Ro-
ma mendax dum absurdâ abhuc plura docet, videlicet
cultum reliquiarum, traditiones non scriptas, ad ora-
tionem Sanctorum Chimericorum, peregrinationem, &
alias ejusmodi furfuris nugas, quas in medium proferre pos-
sem, si charta angustia permitteret illâg, ulla refutatione
digna existimarem. Sufficiat me contrarium cum scriptura
sentire, illorumq, argumenta futile à Theologis Luthera-
ne religionis, quam jam profiteor ex animo, exactè refutata
vidisse. Quid opus enim est gaudio querelas amplius mi-
scere; quod ad me spectat, sic Deo favente veritatem in-
veni, ut jure merito dicere possim: Congratulamini mibi
omnes, quia Drachmam, quam perdideram inveni.
Inveni dum ex scriptura optimè à Lutherò explicata non
plura quam duo sacramenta fuissent à Christo instituta percep-
ti, Baptismus sc. & Cœna, aliter non solum definitio sa-
cramenti esset falsa, verum etiam dictum Jobannis, in
1. Joh. 5. v. 8, quo habetur; Tres sunt quae testimonium dant in terra. Spi-
ritus, aqua, & sanguis, irritum foret, imo & Paulus
errasset, dum ad Collosi scribit: Successionem sacra-
mentorum Novi Testamenti esse in locum sacramentorum Ve-
teris, in quo duo tantum fuerunt: Circumcisio nempè &
agnus Paschalis. Insuper ex eadem didici ad eorum efficaciam
& validitatem intentionem tam ex parte recipientis,
quam

quam ex parte administrantis necessario non requiri (ut
volunt Pontificii) quia intentio hominis ex Apostolo Rom.
3. v 3. irritam voluntatem divinam facere non potest. Et
licet fides requiratur, hoc solum sit ad usum, & sacramen-
torum dignam applicationem, ita, ut, qui ea recte utitur,
applicare sibi debeat beneficia in promissione ostensa, dicente
Augustino, quod non sacramentum, sed sacramenti fides
justificet. Inveni dixi dum clare cognovi in sacra Cœna,
quod corpus & sanguis Christi sit in, cum & sub pane &
vino, repugnante illa transubstantiatione, que non so-
lum obstat scripture, verum etiam rationi. Nam
quod est medium sacramentaliter communicandi cor-
pus & sanguinem Christi, illud certè non est mutatum in
rem communicatam, quia res communicata quætalis,
non potest esse medium communicandi corpus & sangu-
inem Domini, ut patet ex divo Paulo, Ergo panis & vi- 1.Cor.10.
num manant in cœna, & non aliter transubstantiantur.
Etiam ex ista cognitione duas veritates deduxi infallibiles.
Primam laicis tribui debere hoc sacramentum sub utraque
specie, cum Christus non solum dixerit comedite sed Matth. 26.
etia m ibite omnes. Quod si de solis Apostolis esset intel- v. 28.
ligendum, dum secularibus subtrahitur species vini, debe-
remus & panem subtrahere, cum non detur major ratio
de una specie quam de altera: At cum Paulus ad Cor. scri-
bens sine exclusione Laicorum dixerit: Poculum benedictio- 1.Cor.10.
nis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Chri- v. 16.
sti est? sicut & dixerat: Panis, quem frangimus non-
ne communicatio corporis Christi est. Hinc sequitur, sub
utraque specie esse percipiendum corpus & sanguinem
Christi. Secunda veritas, quam deduxi, fuit: Post usum
manducationis panis & potationis vini non permanere

B

tali-

tali durabili coniunctione corpus & sanguis in Hostia, & Calice, ut sine idolatria possimus cultum religiosum illi deferre. Omnis enim Theologia clare probat, nil habere rationem sacramenti extra usum à Christo institutum: At quia usus solam actionem respicit, dicente Christo: Hoc facite, quotiescumque feceritis, binc sequitur, quod cessante actione, cesseret & sacramentum, consequenter adoratio nisi motidum. Quod si Pontifex sui compos de ista veritate Spiritum S. consulere vellet! utiq; audiret ipsum per os Pauli loquentem & dicentem: Panis quem frangimus seu distribuimus communicatio Christi est, & non quem tantum consecramus: Ac timeo ne etiam sit veluti ille iudex, qui interrogato Messiam de veritatis definitione, ne postea ipsam audiret statim clavis auribus abivit. Sed quid! Heu! infelicem Monarcham, nam licet à tot divitiis sit circumdatus, tamen necum exclamare non potest: Drachmam, quam perdideram, inveni. Quandonam dixit ipse, (sicuri ego nunc profiteor) beatitudinem esse merum donum, puram gratiam proventem ex sola liberalitate donatoris: Neque per opera hominem posse Cælum acquirere, sed per solam fidem in Christum Dominum, qui pro nobis legem implevit, pro nobis passus est, ut eternam acquiramus gloriam? Licet fides sine operibus sit mortua, ferme non assimilis lampadi, que sine oleo quamprimum extinguitur, vel fortalito, quod absq; militum præsidio facile ab inimico destruitur, tamen non sequitur opera hominem salvare, sed fidem, in qua unicus salvandi modus manet, cum Scriptura dicat: Qui crediderit salvus erit. Homo non justificatur per opera legis, sed per fidem in Christum. Et quia non dubito hanc inventionem à solo Deo fuisse veram, cum mentiri non possit qui dixit:

1.Cor. 11.
v.25.

Rom.3.v.
24.28.
Jac. 2.v.26

Joh. 3.

Gal. 2.v.16

dixit : Non vos me elegistis, sed ego elegi vos ; nunc lu-
 bentissime domum, patriam, patrimonium, dignitates, pa-
 rentes, amicos, & omnia mundi blandimenta relinquo ;
 & gratias S.S. Trinitati pro insigni hoc beneficio ago decen-
 tissimas, leta voce exclamans : congratulamini mihi o-
 mnes, quia Drachmam, quam perdideram inveni.
 Quod superest, non supervacaneum esse existimo si tantum
 modo aliqua (quis enim omnia enumerare potest in tanta
 brevitate) confessionis puncta proferam, propter que gra-
 tulationem a vobis expeto devotissimam. Sciatis enim,
 me, divina superveniente gratia acerrime negare, primo
 Pontificem esse Ecclesia caput, & non posse errare. Secundo
 Naturam humanam ex se consideratam habere vires ad di-
 ligendum Deum super omnia, insuper ad facienda precepta
 omnia. Tertio Hominem posse merer gratiam & Iustifi-
 cationem operibus bonis, obtinendo remissionem peccatorum,
 dummodo faciat id quod est in se. Quarto, Nos debere
 ullo modo adorare sanctos, qualunque adoratione. Quia Con-
 cilium Tridentinum id statuens non est credendū, & tenen-
 dum ratione jam dicta. Quinto, posse observari vota à Mo-
 nachis in Cœnobii patrata, quasi ex ista observatione sine
 magna Dei misericordia possit quis ex integro non solum legi
 satisfacere sed & facere opera supererogatoria. Sexto, in
 pane post consecrationem distributionem & acceptationem
 manere Christi corpus, quod etiam pro defunctis possit offer-
 ri. Septimo, sufficere contritionem non factam in Christo
 ad acquirendam gratiam, cum satisfactio habeat ratio-
 nem compensationis ad culpam tollendam. Octavo tandem
 cibos conscientiam polluere, & Christianismum consistere
 precise in certa observatione feriarum, rituum & jejuniorum.
 Econtra affirmo, credo & confiteor. Primo, Caput
 Ecclesia


Ecclesia esse solum & unice Christum Dominum. Secundo,
 sola divina gratia posse ex parte observari decalogi decem
 precepta. Tertio Christum nobis meruisse remissionem pec-
 catorum nec posse per quodcumque opus bonum aliquid a Deo
 de jure petere , cum dicere semper debeamus servi inutiles
 sumus. Quarto, solum Deum esse adorandum , quippe qui
 emphaticè dixit: Dominum Deum tuum adorabis & illi
 soli serbies. Quinto impossibile esse, ut opera supereroga-
 tionis faciamus , cum justus etiam Septies in Die cadat.
 Sexto, Corpus & Sanguinem Christi tunc esse in pane & vi-
 no, dum secundum institutionem divinam consecratur & di-
 stribuatur populo, nec ullo modo esse pro mortuis offeren-
 dum , cum ex inferno nulla sit redemptio , & in Paradiso
 merita augeri non possint. Septimo, Purgatorium figmen-
 tum esse, cuius veritas teste Suarezio : Tom. 4. part. 3.
 Disp. 45. sec. 1. ex scripturis non potest probari. Octavo,
 Contritionem esse ineptam ad veniam obtinendam , nisi sit
 facta in fide meritorum Christi, qui pro nostris peccatis sa-
 tis fecit. Nono, Communionem carnis non in se esse peccami-
 nosam, sit tantummodo cum gratiarum actione accipiatur;
 Et qua sunt alia adhuc dogmata, que refutando & in ater-
 num abjurando Pontificiorum religionem idololatri-
 cam per S. Sancti gratiam tanquam Drach-
 mam inestimabilem observabo quam
 diligentissime.





(11)

dixit : Non vos me elegistis, sed ego elegi & bentissimè domum, patriam, patrimonium, rentes, amicos, & omnia mundi blandime & gratias S.S. Trinitati pro insigni hoc benthissimas, leta voce exclamans : congratulamnes, quia Drachmam, quam perdide Quod superest, non supervacaneum esse exi modo aliqua (quis enim omnia enumerare brevitate) confessionis puncta proferam, pulationem a vobis expeto devotissimam. me, divina superveniente gratia acerrime Pontificem esse Ecclesie caput, & non posse ei Naturam humanam ex se consideratam hab ligendum Deum super omnia, insuper ad fac omnia. Tertio Hominem posse mererigra cationem operibus bonis, obtinendo remissione dummodo faciat id quod est in se. Quatuor modo adorare sanctos, quatenus adorat cillum Tridentinum id statuens non est credendum ratione jam dicta. Quinto, posse obser nabis in Cœnobis patrata, quasi ex ista ob magna Dei misericordia possit quis ex integr satisfacere sed & facere opera supereroga pane post consecrationem distributionem manere Christi corpus, quod etiam pro defusi ri. Septimo, sufficere contritionem non fa ad acquirendam gratiam, cum satisfactio nem compensationis ad culpam tollendam cibos conscientiam polluere, & Christiani precise in certa observatione feriarum, ri rum. Econtra affirmo, credo & confiteo



the scale towards document